



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Consensv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

hibitiones, obtemperare his necesse est. Nec querendum est, quomodo excusandi sint Patres, quia sancti non sunt sine uitijs: & omnes omnibus temporibus contagia quædam habemus ab erroribus & uitijs nostri temporis. Quia uero patres uera inuocatione Deum colebant in agnitione redemptoris, & erant fideles custodes doctrinæ, & excellabant omnibus uirtutibus, & bonam conscientiam alioqui retinebant, tales nãui tegebantur, qui iam erant eius temporis mores politici.

## DE CONSENSU.

**DICTVM** est in definitione, Coniugium esse legitimam copulationem. Hæc restrictio docet, personarum discrimina esse: item ordinat consensum. **PRIMUM** igitur sit consensus expressus sponsi & sponsæ, ut regula sæpe repetita in iure docet, coniugia mutuo consensu iungi. Et ab hoc consensu absint error & uolentia. Ac postea de errore dicam. De uolentia uero sciendum est, non esse consensum, nec coniugia, cum persona ui cogitur, ut promittat coniugium. Et hac in re accidunt multa tristia errata.

## DE CONSENSU

## PARENTVM.

**VETVSTA** iura ita postulant consensum parentum in sponsalibus, ut cum non accedit consensus parentum, concedant etiam ante commixtionem rescindi desponsationes. Et Ambrosius in historia Rebeckæ postulat consensum parentum, idque dicit adeo honestum & naturæ consensaneum esse, ut Poëtæ quoque idem docuerint, & recitat uersus Euripidis, apud quem in Andromacha, cum Orestes peteret connubium Hermiones, hæc respondet, Eam rem pertinere ad arbitrium patris. Versus hi sunt:

Νυμφευμάτων μὴ τῶν ἐμῶν πατὴρ ἔμους  
Μέμνονα ἔξῃ κοῦκ ἔμους κείνῳ τάδε.

**Næc** longiorem disputationem addo, cum constat in Ecclesijs harum regionum hoc seruari, ut consensus parentum requiratur, & desponsationes iudicentur irritæ refragantibus parentibus.

**Sed** ad officium iudicum pertinet considerare, ubi parentes probabilem causam habeant refragandi, ubi non sit probabilis causa.

**SCIENDVM** & hoc est, post concubitum non posse rescindi coniugia autoritate parentum, quia non est iam quæstio de futuro coniugio & uiolata est autoritas parentum, & fieret iniuria desertæ mulieri.